



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

I. De Excommunicati, si excommunicationis causa tacita, priuilegium meruerint absolutionis, cogendi sunt redire: sed si dubium fuerit, & veritatem sint confeßi, poterit eis purgatio de hoc indici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

CAP. VIII. *Idem Burdegalsi archiepiscopo.*Pars cap. supra de spon.  
Confuluit.

Præterea de G. archidiacono, qui cum in tua & Tolofana ecclesia archidiaconus fit constitutus, & in vtraque professus regulariter, collectis illis quæ in archidiaconatu tuo potest colligere, præter conscientiam tuam & licentiam, Tolosam regreditur, & ibi per annum vel amplius moratur: prouidentia tuæ significamus, vt eundem archidiaconum, si ita res se habet, altero quem maluerit, archidiaconatu, occasione & appellatione cessante, facias esse contentum.

## CAP. IX.

*Idem Salernitano archiepiscopo. Pars cap. supra de clericis matrimonio copulatis; Clericos.*

Mandamus, vt si qui clerici ecclesiarum tuarum, fratribus hospitalis cum licentia sui prælati sponte ac gratis per annum vel triennium seruire decernunt, nequaquam impediatur: & interim beneficia sua ecclesiastica vel redditus, si quos habent, non amittant.

PARS  
XXXI.

## DE EXCOMMVNICATIS.

## CAP. I.

*Idem\* Exoniensiepiscopo.*

**E**x parte tua nobis est constanti assertionem propositum, quod quidam interdum pro certis causis excommunicati, sedem apostolicam visitant, & reticentes causas pro quibus sunt vinculo excommunicationis adstricti, auditis confessionibus suis, absolutionis beneficium <sup>\*meruisse.</sup> meruisse. Vnde quia nos consulere voluisti, vtum illa absolutio teneat, si occultatis excessibus, pro quibus excommunicati fuerunt, absolutionis meruerunt <sup>\*priuilegium.</sup> priuilegium, siue excommunicationis aliam causam prætendentes; consultationi tuæ taliter respondemus, quod si ita constiterit, eos cogere debes censura ecclesiastica, cum literis tuis rei veritatem continentibus, ad sedem apostolicam redire: si vero id tibi non constiterit, & eos suspectos habueris, quod non fuerint veritatem confessi, ipsos compellere debes ex-



ANNO  
CHRISTI  
1179.

inde coram te, quod veritatem confessi fuerint, purgationem præstare.

CAP. II. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Qua fronte nos super articulis iuris consulere valeas, non videmus, cum in his quæ tibi nota sunt & liquida, manifeste dicaris ordinem peruertere, & euidenter libertati \* ecclesiæ contraire, pro qua ille gloriosus & inclytus martyr, prædecessor tuus Thomas martyrium subire non expauit. Iam enim non in ecclesia, sicut canonicum est & honestum, non in palatio, non in camera tua, sed in propria camera regis, contra debitum iuris & contra pontificalis officii dignitatem, episcoporum electiones diceris confirmare. Verum super his, de quibus nos consulere voluisti, prout nobis dederit Dominus, tibi respondemus: sane si quis pro contumacia vel alia qualibet causa, excommunicatione tenetur adstrictus, & offert se ad iustitiam de his, pro quibus sententiam ipsam excepit, iudex eum, vt non in excommunicationem \* discedat, absolueret poterit, etiamsi pars aduersa, ne absoluaatur, appellationis obstaculum interponat: ab ipso tamen ante absolutionem sufficiente cautione recepta, quod vel in præsentia Romani pontificis, ad cuius audientiam appellatur, si maluerit aduersarius, vel coram iudice, cui Romanus pontifex causam delegauerit, vel coram eo in quo vtraque pars conuenerit, iuris pareat æquitati.

CAP. III. *Idem in eadem epistola.*

De his etiam, qui se conqueruntur irrationabiliter excommunicationi vel interdictioni suppositos, illud idem dicimus, etiamsi hi pro quibus tulerint sententiam, ad sedem apostolicam duxerint appellandum.

CAP. IV. *Idem Rothomagensi archiepiscopo.*

Quia quæsitum est a nobis ex parte tua, si liceat tibi eos qui excommunicationis vinculo ab episcopis, aut suffraganeis tuis fuerint innodati, & ad audientiam tuam appellant, absolueri antequam steterint tuo iudicio: inquisitioni tuæ præsentibus literis respondemus, quod si post appellationem inter eos sententia excommunicationis est